



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

CVIII. Hadrianvs II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



nubium efficiantur, restat nimirum compatrem constitui illi mulieri, cuius in matrimonio assumpta vxor commater esse videbatur & idcirco, dicit, virum non posse illi mulieri iungi in copula, quæ commater erat eius, cum qua vna caro fuerat effectus. Item præcipit, ne mulier, quæ viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte leuauit, propter hoc à viro separetur, quia secundum sacros canones, nisi ex amborum consensu, & religionis obtentu non debet coniugem dimittere coniux. habet tamen graue peccatum mulier, quæ odio habens maritum, quasi causa pietatis operatur impietatem. **ITEM** de presbytero vel diacono, quem asserbat Salomon <sup>15. q. 5. c. presbyter.</sup> Episcopus crimina nolle publicè confiteri, sed velle se cum sacramento defendere, & tamen dicebat notum esse Episcopo scelus ipsius fore patratum. Respondet, non esse Episcopo scelus legitime manifestum, si presbyter vel diaconus non fuerit per approbationem testium forte cõuictus, aut ipse sua fuerit sponte scelus ipsum confessus. Idcirco, priusquam alterum horum eueniat, non debere suo priuari officio: quia sola spontanea confessio, vel canonicus numerus & qualitas testium decernentibus Episcopis, & accusatore, quod obiecerit, comprobante, clericum proprio gradu priuat. Itē dicit, monachum, qui semel se Deo vouit, & regulam S. Patrum suscepit, non iam à proposito posse reuerti.

Prædictus Pontifex Photium Constantinopolitanum deposuit, quia ex laico consecratus ab excommunicato Episcopo, & adhuc gnatio patriarcha superstite, subito Episcopus est consecratus & quia ante audientiã excommunicatis communicare præsumperat.

**ITEM** Pontifex Rothardum Episcopum Sueffionensem ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo depositum sedi suæ restituit, quia Romanæ sedis appellatio apud prædictum Archiepiscopum tempus dilationis impetrare non valuit. Hic ordinauit Episcopos 65. presbyteros 7. diaconos 4. Idibus autem Nouemb. migravit ad Dominum.

## CVIII.

## HADRIANVS II.

ADCCCLXVII

**A**DRIANVS, natione Romanus, ex patre Thalaro, sedit in Episcopatu annos 4. menses 11. dies 10. Hic ab omnibus Romanis vnanimiter electus est. Quorum vnanimitatem & desiderium audiens **LODEVVICVS** Imperator, cognoscens etiam, qualiter in eo decretum suis subscriptionibus roborassent, valde gauisus, mox



\* *Osnabru-  
geri.*

\* *Hildegri-  
no, de quo A.  
kyan. Xius lib.  
1. metropolis  
6. 2.*

imperiale[m] scripsit epistolam, per quam electum fieri præfule[m] collaudauit. Huius temporibus LVDEWICVS dedit Ecclesiæ Corbeien[s]i & Heriforden[s]i quasdam decimales Ecclesias cum ipsis decimis in parrochia \* Osnabrugensi, consentiente Episcopo & omni clero. KAROLVS Romanorum Imperator & patritius dedit honorificatæ Ecclesiæ, & honorificandæ à DEO Hersueldensi quasdam decimas in Frisonevelt & Hasslega Halberstaden[s]i adiacentes diocesi, quas Stephanus Papa in basilica B. Petri die sancto Paschæ sua auctoritate & Imperatoris subscriptione, & \* Hildegino Halberstaden[s]i Episcopo præsentate, confirmauit. KAROLVS quippe omnes decimas in Saxonia constituerat ad regale seruitium, & eas rex dare potuit, quo voluit.

Hic Apostolica auctoritate firmavit, si deinceps quispiam Episcopum occidere tentauerit, vel flagellare, aut saltem percutere, ut à Deo & sanctis eius omnibus sit anathema. Illos autem, qui illicitas & incestuosas copulas contrahunt, si secundò vel tertio admoniti eas non dissoluant, & dignam pœnitentiam non egerint, à liminibus Ecclesiæ cum suis sequacibus eliminandos esse decreuit. Item raptores Virginum, qui eas legitimo nuptiali iure, vel secundum ritum, vel legem, vel pacem acquisiuisse noscuntur, eadem sententia feriri iussit, quos tandem, nisi à praua intentione recesserint anathemati submittendos esse modis omnibus iudicauit. Item homicidas, & hominum truncatores, si non secundum legem emendauerint, & pœnitentiam non egerint, similiter inuasores & incendia facientes, atq; raptores pari sententia feriendos esse dixit. Item statuit, ne ulli liceat clericum attulare in Ecclesia præter Episcopum, ad cuius ordinationem & potestatem diocelis omnium iure Ecclesiarum secundum antiquam constitutionem pro sua cuiq; pertinente parrochia.

## CIX.

ADCCCLXXII

## IOANNES VIII.

IOANNES, sedit annos 10. dies 2. Hic decreto suo statuit, ut nulli Ducum liceat quemlibet Episcopum in præsentiam Romani præfulis introducere, vel census ab eo ad sumptus publicos, seu dona quælibet exigere, sed nec coram laicis Episcopum concessit, Clericos & sanctimoniales, pupillos & viduas sub tutela Episcoporum esse decreuit, & eos ad secularia iudicia trahi modis omnibus interdixit. Quemlibet autem ducem vel alium contra hæc agentem, excom-